Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26237
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut legamus cogitare. deinde legendo exponere. in disputatio
nibus contra falsa [vel disputare] clamare. de aliorum inventis iudicare. contra
invidorum detractiones linguam acuere. ut iam in nobis impletum
sit illud de filiis israel. qui reedificantes templum in una manu
gladium in alia lapidem habebant. Sed hoc hactenus. Nunc de sin
gulis elementis et ornatu eorum dicere incipiamus a superiori.
id est ab igne incipiendo. Ignis igitur est spatium a luna sursum. quod
idem est ether dictum. ornatus vero illius quicquid supra lunam videmus. scilicet
stelle tam infixe quam erratice. Sed queret aliquis. Est ne super lunam.
nisi ether et stelle et preter cetera spiritus. an ibi sunt aque congelate. super
quas alie aque. Dicunt enim quidam super ethera esse aquas congelatas. que
in modum pellis extense nostris oculis occurrunt. super quas sunt aque.
confirmantes hoc auctoritate divine pagine que ait. Po
suit firmamentum in medio aquarum. et iterum aquas divisit que
sunt sub firmamento ab his que sunt super firmamentum. Sed quoniam
illud contra rationem est quare sic esse non possit ostendamus. et
qualiter divina pagina in predictis sit intelligenda. Si ibi
aque sunt congelate. ergo [aliquid] ponderosum et grave. Sed proprius locus
ponderosorum et gravium terra est. Si iterum ibi sunt aque congelate.
vel coniuncte sunt igni vel non. Si illi coniuncte sunt. cum ignis cali
dus sit et siccus. aqua vero congelata frigida et humida. contrarium
sine medio suo contrario coniunctum est. Nulla quam ergo ibi concor
dia. sed contrariorum repugnantia. Amplius. Si aqua congelata est
iuncta est igni vel dissolvetur ab igne vel ignem extinguet. Sed
ergo ignis et aqua et firmamentum remaneant. non sunt aque conge
late coniuncte igni. Si coniuncte non sunt aliquid inter eas et ignem
est. sed quid erit elementum. Sed nullum superius igne factum est ex
elementis. visibile ergo. Unde ergo non videtur. Restat ergo ibi non esse a
quas congelatas. Sed scio quid dicerent. Nos nescimus qualiter hoc
sit. sed scimus deum hoc posse facere. Miseri. quid miserius est quam
illud dicere. quia deus illud facere potest. nec videre sic esse.
nec rationem habere quare sic sit. nec utilitatem ostendere

[Margin notes:]
Quid sit ether et quid ornatus eius.
Iterum quare congelate sint sub ethera.
Ratio est qua probatur aquas congelatas sint ethera esse non posse.
Quod non est ratio dicere illud esse quia deus facere potest.